

Heinrich Gressmann

## **De Febre Hectica : Dissertatio Inauguralis Medica**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXXIII.

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010428446>**

Druck Freier  Zugang





RU med. 1833

Gressmann, Henri. B.













DE  
**FEBRE HECTICA**

---

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

EXHIBUIT

**HENRICUS B. GRESSMANN**

SUERINO - MEGAPOLITANUS.

---

**ROSTOCHII**

TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXXXIII.

1833



LIBRUM MEDICINAE

DE ...



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



---

## INTRODUCTIO.

---

**S**i verum est, quod nemo dubitat, pulsum acceleratum et temperiem corporis alienatam febris praesentiam nuntiare, facili negotio concludi posse arbitror, febrim in systemate vasorum, praecipue arteriarum, locum habere, itaque unam existere posse, quae, prout alia systemata variis modis sint affecta, diversissimas formas subire valeat. Proinde febrim, de qua agitur in hoc opusculo, cum pulsus mutatus ac temperies alienata tantummodo praesentiam ejus indicent, quamquam me tironem falli posse non diffitebor, nonnisi varietatem existimo, quae peculiaribus quibusdam symptomatibus, certa causarum et conditionum non satis cognitarum ratione inductis, sese expromat. An virium atque materiae organicae consumptio absolute sit necessaria, haud dirimam; hoc vero constat, consumptionem multo esse celeriore et manifestiore, ubi febris ista apparuerit. Cum cursus lentus, quippe qui aliarum febrium terminos longe excedat, corporisque consumptio ad constituendum nomen adhibeantur, aliter atque aliter vocatur. Cum plerique ad designandam consumptionem lentam cum febre uti videantur voce febris hecticae, et ipse hanc denominationem reliquis praetuli.



### *Morbi symptomata.*

Pedetentim ac furtim quasi, neque ab aegroto neque medico interdum observata, febris hectica irrepit. Aeger plerumque jam antea debilitatem conquestus, minus ardua negotia facile peragens, nulla incommoda a febre pendentia sentit. Appetitus ciborum integer, saepe auctus, raro minutus; sapor fere naturalis, interdum amarus; lingua ut plurimum pura, ruberrima, modo humida, modo sicca, non raro gingivae et interiores oris partes rubrae sunt. Labia plerumque sicca, arida, rimosa per totum morbi decursum inveniuntur; sitis totum inter morbum plerumque aucta est. Cibis assumtis, praecipue post meridiem, aliquanto majorem aeger calorem sentit, qui maxime horis vespertinis cum frigore intercurrente revertitur et levi genarum ardore laetiorique earum rubore (interdum alterutrius tantum, si vitia organica adsunt), ardente calore volarum manuum et plantarum pedum manifestatur, neque solum ab aegro, sed ab aliis quoque tactu percipitur. Cutis corporis plerumque adeo sicca et arida est, ut corium s. membranam Pergamenam s. arborum corticem aemuletur; calor ejus auctus primo in parcum sudorem transit, qui semper fere in singularibus tantum partibus, uti collo, pectore, praecordiis, fronte, capite, quandoque interno latere femorum et brachiorum apparet; ceteroquin manus saepe frigidae et madidae sunt. Pulsus debilis, mollis, celer, saepe duriusculus, interdum inaequalis, praecipue vitia organica si exstant, nonnunquam intermittens invenitur. Urinae generatim parcae, vel rubrae, vel turbidae, vel sero



lactis similes; haud raro superficies earum varios colores, interdum pinguedinem offert, vel cum roseo, vel lateritio, vel mucoso, quandoque purulento sedimento, subinde in vasis parietibus annulo caeruleo conspicuae. Aliquando haud ingratum odorem, qualis violarum est, prae se ferunt. Alvus initio ut plurimum tarda et adstricta. Respiratio saepe sine ulla pulmonum labe paulo angustior et brevior redditur; vox rauca aut clangosa evadit; somnus maxime inquietus haud reficit aegros.

Status diuturnior aegro fere intolerabilis, adscensus scalarum molestissimus est. Plerumque aeger excitatus animo, admodum sensibilis, acerbus, morosus, molestus, saepe sine ulla causa, inprimis mane, indolentia premitur. Quaecunque levior irritatio et exercitatio tam animum quam corpus facile fatigant et sanguinis circuitum celeriores reddunt.

Pedetentim progrediente morbo, praecipua symptomata apparent haec: corporis volumen minuitur, musculi, praesertim faciei, pollicum, crurum, femorum, lumborum, brachiorum, neque minus adeps, mammae et aliae partes consumuntur; ossa prominent, oculi in orbitas relabuntur et orbiculis intense coeruleis circumdantur; nasus acuminatur; cutis collabitur, sordida, lurida, interdum cinerea, flavo albida redditur. Rubor circumscriptus genarum antea fugax, nunc constans evadit; exacerbationes ut plurimum horis vespertinis sensim sensimque graviore, modo deficiente frigore, modo tantum digitis manuum et pedum et apice nasi frigentibus, facie pallidente, redduntur. Aestus fere per totam noctem excruciat aegrum, somnus maxime inquietus, haud raro delirium levioribus intercepit, quam-



quam sub horas matutinas placidior, nullam refectionem largitur, e contrario aeger magis defessum se sentit quam ante somnum. Saepe numero hic inimicissimus calor sub horas demum matutinas in sudorem non aequabilem, copiosissimum autem, plerumque foetidum, tenacem et maxime debilitantem abit, quem aeger, tanquam valetudini salutarem, longiori in lectulo mora, si alias hunc relinquere possit, fovendum judicat. Sudore aliquantum minuto, plerumque perspicua remissio oritur, quae, quo major prostratio virium, eo brevior et minus manifesta esse solet omnique corporis et animi admodum sensibilis excitatione, redeunte fugace calore et sudore, mox aboletur. Sine causa quadam evidente infestissimis hisce colliquativis sudoribus diarrhoea colliquativa saepe additur et quamquam sudores, dum diarrhoea existit, interdum paulo remittunt, aeger tamen cito in eam labitur conditionem, qua non tantum in lectulo detineatur, sed etiam nullum fere motum sponte peragere valeat. Interdum, praecipue post meridiem, saepe horis matutinis, tussis sicca, si aeger vitis pulmonum caret, tantum per majorem eorum sensibilitatem, oritur; haud raro aliquid tussi extunditur, ut materia mucosa, pituitosa, purulenta, si ulcera adsunt, cruenta, interdum puriformis sine ullo viscerum ulcera. Ciborum appetentia, si ad morbi usque finem fere vigeat, certe a morbosa ventriculi irritatione pendet.

Morbi sine propius imminente, subinde febris evadit continua, calor ardens, gravior, pulsus fortis, summa inquietudo maxime cum doloris sensationibus in aliquo corporis loco, nascuntur. Quibus per aliquot dies protractis, febris vehementiae aliquid iterum dimittit et leniorem cur-



sum tenet, urinae haud raro turbidae, interdum purulentae; sputa purulenta deinde redduntur. Nonnunquam haud exiguae molestiae locales remanent. Saepenumero tumores <sup>1)</sup> artuum et reliqui corporis cito apparent, qui nonnullas horas sine dolore, duritie et coloris mutatione persistentes, evanescent. Quo magis vires aegroti jam consumptae, eo plura symptomata in conspectum prodeunt, quae propinquam mortem nuntiant: pulsus paulatim celeriores, minores et debiliores, omnem fere remissionem arcentes, fiunt; ungues curvantur; labefactae nutritionis causa pili capitis desluunt; haud raro aphthae in cavitate oris et faucium, peticulae in collo, pectore et reliquis partibus emergunt. Raucedo, aphonia, interdum frequentes lipothymiae, somnolentia, mentis hallucinationes, obliviones, nonnunquam observantur, nec non oedemata pedum, manuum, faciei, hydrops, decubitus, excretiones invitae alvi et urinae, paralysis singularum partium oriuntur, donec mors sceleto similem aegrum calamitatibus liberet. Vel subito perit aeger alvum dejecturus aut locuturus, vel, integra mente, lampadis instar oleo carentis extinguitur, vel spei plenissimus, si servari nequit, ruptis vel abscessu vel vomica vel vasis denique partium nobiliorum, inopinanter exspirat. Secto cadavere vasa vacua, sanguinis quantitas ad minimum redacta, inveniuntur.

---

1) W. Heberden's Commentarien über den Verlauf der Krankheiten und ihre Behandlung. Aus d. Lat. von J. Fr. Niemann. Leipzig 1805, pag. 171.



*D i v i s i o.*

Plerique, imprimis veteriorum, lentam et hecticam febrim tantummodo gradu distinxerunt, ita, ut lenta leviolem, hectica graviolem gradum significet, et lenta postremum in hecticam abeat, ut *Stahl* <sup>1)</sup>, *Fr. Hoffmann* <sup>2)</sup>, alii secundum symptomata praevalentia inflammatoriam, nervosam, putridam et gastricam, ut *Richter* <sup>3)</sup>, *Haase* <sup>4)</sup>; alii febrim hecticam idiopathicam et symptomatam discreverunt, ut *Fournier* <sup>5)</sup>; alii hecticam et phthisicam, ut *Berends* <sup>6)</sup>. Phthisica febrim continuam propior, exacerbationes praecipue horis matutinis efficere solet et cum visceris alicujus suppuratione conjuncta est.

*Berends* <sup>7)</sup> de febre phthisica haec tradit: „Febrem phthisicam incipientem fere distinguunt frigus sat notabile, quod exacerbationes praecedunt, exacerbationibus plerumque antemeridianis paroxysmorum febris intermittens quotidiana et tertianae duplicis aemulis, calore tamen et in remissionibus quoad aegroti sensum nunquam prorsus extincto, et in remissionum tempore non semper adstantibus valde perceptibili atque aegroti ad frigus valde sensibili et de levi frigore saepe conquerente, corpore potius frigus sentiente.

1) *Dissertatio de febre hectica.*

2) *Med. rat. syst.* tom. IV. s. II. c. 13. Hal. 1734.

3) *Richter A. G.* specielle Therapie. Bd. 2. pag. 729.

4) *Erkenntniß und Kur der chronischen Krankheiten.* Bd 3. Abth. 2. pag. 25.

5) *Beobachtungen üb. d. schleichende oder auszehrende Fieber,* aus d. Franz. Leipz. 1782.

6) *Praelect. de morb. tabif.* ed. *A. G. a. Stosch,* tom. 1. pag. 120. Berl. 1829.

7) *L. c.* pag. 146.



Haec indoles tantum sub transitum alicujus visceris in suppurationem tam notabilis apparet; sin suppuratio jam per aliquod tempus perduraverit, febris hectica, nisi visceris destructio celerime progrediatur, ad cursum solitum revertitur; id quod in senibus saepe animadvertimus, quibus cum sputis purulentis exacerbationes consuetae horis meridianis et vespertinis per longum tempus exstant et qui post mortem pulmones suppuratione tarda consumptos ostendunt. *Haase* <sup>1)</sup> si demum, inquit, febris phthisica e suppuratoria prodiit, eundem decursum eademque symptomata, ac febris hectica, exhibet. Momenti majoris tam respectu prognosis quam curationis mihi videtur, febris hecticae divisio: *a*) in idiopathicam s. primariam, a toto systemate sine vitiis organicis ordientem; *b*) in secundariam, alios morbos subsequentem et *c*) in symptomaticam, quae symptomata organicorum vitiorum et destructionum sistit; ita ut febris phthisica, quam dicunt, symptomaticis febribus hecticis, adnumeretur.

---

### *D e c u r s u s .*

---

Febris hectica cursum adeo lentum absolvit, ut de mora ejus nihil certi possit proponi: per hebdomades, menses, interdum per aliquot annos protrahitur, prout causae, constitutio corporis et aliae conditiones differunt. Decursus porro et symptomata ita variant, ut stadia quidem defendi, non autem certo distingui possint; saepe enim

---

1) L. c. pag. 76.



accidit, ut in aliam indolem abiisse videatur, mox autem ad pristinam redeat. Plurimi in tria stadia febrem hecticam distribuunt, quorum primum notas febris longiores formae incertae praese fert; secundum sudoribus profusis nocturnis distinguitur; tertium denique, morti praevium, diarrhoea colliquativa et omnium symptomatum augmento indicatur. Haud raro aliis morbis, praecipue febribus gastricis, catarrhalibus, pituitosis, putridis etc. associatur et characterem horum morborum per aliquod tempus induit, interdum graviditati cedere videtur, postea autem atrocior recurrit. Typus maxime continuus remittens apparet, duas febris quotidianae exacerbationes aemulans; quandoque typum tertianae, siquidem alternis diebus exacerbationes notabiliores apparent, imitari videtur; nonnunquam continuum continentem fere aequat. In universum leviter, eo levius, quo magis idiopathica existit, decurrere solet; plerumque febris symptomata ex viscerum nobiliorum affectionibus cursum vehementiorem et celeriore absolvit. Generatim temperie calida et sicca mitescere, frigida et humida autem ingravescere videtur. Ut plurimum morte terminatur, praesertim tempore vernali et auctumnali, quoniam vires fere ex toto prostratae frequentes temperiei vicissitudines horum anni temporum sustinere nequeunt. Si qui morbo liberantur, symptomatibus paulatim minutis, febris sine omni critica evacuatione decrescit, vires, volumen corporis, color naturalis et functiones ad normam sensim redeunt.

---



## *Aetiologia.*

Causae praedisponentes: Neque aetas, neque sexus, neque ulla corporis constitutio, aut vitae ratio ab hac febre tuentur. Quemadmodum senes, quibus virium inopia magis est communis, febre hectica perire possunt, ita etiam, oblata occasione infantes, pariter viri robusti, ac graciles juvenes et tenerae mulieres, nec non laboriosi et otiosi, borealium regionum et meridionalium incolae. Certo autem constat, gracilem et debilem constitutionem cum tenera cute, fibra sicca, statura longa et praecoce incremento, temperamento sanguineo, systemate nervoso admodum irritabili sensibilique, aetatem juvenilem et senectutem, intemperantiam, humorum jacturam, morbos praegressos debilitantes aut diuturnos, sexum muliebrem, vitam desidem, imprimis mentis laboribus et vigiliis conjunctam, dispositionem phthisicam hereditariam etc. ad febrem hecticam prae ceteris opportunum reddere corpus.

Causarum occasionalium tantus est numerus, ut recensere eas nimis longum sit; cognitio earum saepe tam ardua, ut medicum facile una alterave effugiat. Generatim tres ordines causarum occasionalium distingui possunt, quorum primus continet causas, quae a toto systemate, sine vitiis organicis pendent; secundus alios morbos, qui in hecticam febrem abeunt; tertius vitia organica, quae hanc febrem symptomaticam inferunt. Principes causarum occasionalium sunt:

a) Constitutio aëris propria, praecipue humido-calida, regiones humidiores, insalubri aëre impraegnata cubicula, vitiosa organa manducatio-



nis et deglutitionis, vitia dentium et aliarum oris partium, degenerationes glandularum salivarium, fistulae earum, jactura salivae per ptyalismum, abusus nicotianae tabaci etc. Constrictiones et conglutinationes oesophagi; debilitas ventriculi et tractus intestinorum, mala indoles succi gastrici entericique, bilis, salivae et aliorum.

Ciborum penuria, cibi asepti aut parum nutritives, vel nimis vel justo minus incitantes; apud infantes lac deficiens, aut nimis tenue aut spissum, vel alio modo vitiosum. Sanguinis, aut lactis, praecipue nimis diu lactantium, seminis et aliorum humorum profluvia, excretiones nimiae, blennorrhoeae habituales; frequentiora puerperia.

Insignem in organismum animi pathematum efficaciam nemo ignorat; saepissime enim animi pathemata deprimentia ad febrem hecticam gignendam conferre neque raro difficillime detegi, nisi aeger succurrat medico, nemo dubitat. Praesertim huc referenda sunt: sollicitudo, curae, moeror, lucubrationes, terror, ira, nec minus intemperantia et alia, quae vitam quasi arrodunt. Nimirum porro corporis labores et mentis contentiones, cum vita deside, vigiliis et neglecta digestionis cura: abusum quoque vini et potuum spirituosorum, nec non validiorum aromatum et medicamentorum, praecipue purgantium et aliorum febrem hecticam sequi posse, pluries observatum est.

b) Haud raro alios morbos, praesertim febres acutas, ut gastricas, rheumaticas, catarrhales; exanthemata acuta, ut scarlatinam, morbillos, variolas, et alia hujusmodi in febrem hecticam abire videmus, si crises eorum vel turbatae, vel imperfectae, vel profusae et nimis diuturnae



fuerint. Curatio etiam inepta, diu protracta, vel intempestive adhibita antiphlogistica, remedia excitantia perperam administrata, ab altera autem parte, neglectus incitantium et roborantium usus, ubi vires corporis tam prostratae sunt, ut natura sibi succurrere non valeat, non raro peculiaris morborum indoles huc pertinent. Sic febres intermittentes diuturnae, inepto incautoque usu Chinae et aliorum febrifugorum in febrem hecticam transmittuntur. Aeger, exactis hisce morbis, debilis macilentusque manet, appetitus ciborum vel deficit, vel ita alienatur, ut aeger insatiabilis sit, attamen nec cibos ingestos concoquat, nec vires recipiat, nec volumen corporis perditum, nec colorem rursus obtineat. Interdum huic febrī stases humorum, obstructions et infarctus viscerum, status pituitosus, metastases, vermes intestinales et alia producta morborum praegressorum associantur.

Praetermittendae hic non sunt suppressiones solitarum secretionum et excretionum, ut haemorrhagarum, praecipue haemorrhoidum, sudorum localium, inprimis manuum pedumque, nec non praematura sanatio ulcerum inveteratorum tam naturalium quam artificialium, quae in organismi consuetudinem jam inducta sunt; suppressiones exanthematum chronicorum, ut scabiei, herpeticis, tineae capitis et aliorum. Diurni dolores spasmi que, ut dolor faciei Fothergilli, hemicrania, ischias rheumatica, cardialgia, hysterismus, hypochondriasis, melancholia, nec non cachexiae et dyscrasiae, ut icterus, chlorosis, hydrops, arthritis, syphilis, morbus scrophulosus, rhachitis, scorbutus et alia saepe numero in febrem hecticam desinunt. Venena jam submota vel per effectum secundarium, vel parvis iteratisque



dosibus ingesta, ut hydrargyrum, praecipue sublimatum corrosivum, arsenicum, plumbum, cuprum, nonnulla narcotica et alia, producant febrim hecticam, qua laborantes ut plurimum e medio tolluntur.

c) Injuriae, quae febrim hecticam symptomaticam inferunt, omnium causarum frequentissimae sunt, quo factum est, ut nonnulli morbum primum et secundarium negaverint. Hae causae in duas classes redigi possunt: a) Vicia organorum fabricae, ut obstructions, infarctus, indurationes, tubercula, scirrhi, corpora aliena et similia, degenerationes viscerum nobiliorum, praesertim pulmonum, hepatis, lienis, uteri, glandularum mesaraicarum, pancreatis, ductus thoracici etc.; haud raro tabescentia sine suppuratione, cum febris hectica postremum conjuncta, in senibus observatur. b) Destructiones praecipue viscerum nobiliorum, quae causas febris sic dictae phthisicae constituunt. destructio ejusque symptoma, febris, efficitur suppuratione, ulceratione et aliis, praesertim pulmonum, hepatis, lienis, renum, uteri, ovariorum, tractus intestinorum, laryngis, arteriae asperae aliorumque organorum. Facile est intellectu, hanc divisionem causarum occasionalium non strictam esse, quoniam una alteram facile procreare et procul dubio abigere potest. Sic febres, exanthemata et alia nonnunquam stases, obstructions, indurationes etc. procreant, quae saepenumero in suppurationes et ulcerationes transeunt et perfecta organi consumptione finiuntur. Attamen haec divisio, nisi fallor, commodiorem synopsis offert nec non certiore praesagiendi et curandi normam praemonstrat.



Causa proxima. Plurimi, praecipue veteriores, causam febris hecticae proximam in acore specifico, qui causis variis ortus, cum humoribus communicetur et nervos irritet, collocant.

*Vogel*<sup>1)</sup>, „semper, inquit, acor, qualiscunque sit, in humoribus pro causa proxima febris hecticae haberi potest. In universum semper acorem in humoribus suspicari licet, ubi cutis sicca et pulsus celerior naturali est. Dispositio peculiaris, quae hoc in casu haud dubie in sensibilitate systematis nervosi cernitur, ea efficiat, necesse est, quae efficiuntur, stimulus continuus adest, qui motum sanguinis auget, functiones viscerum secretoriorum turbat, et hoc modo impedit, quominus succus alibilis bene praeparetur et nutritio corporis solito modo fieri possit.“ *Tissot*<sup>2)</sup>, „magnum, ait, sensibilitatem systematis nervosi et acres humores sufficere ad febrem hecticam procreandam.“ *Sachtleben*<sup>3)</sup>, „causa proxima, inquit, acritudo est, quae quotidie sanguini associatur, nec non praeternaturalis irritabilitas et debilitas nervosi systematis; hae autem et conjunctio earum, ad febrem hecticam producendam absolute necessariae sunt.“ Nonnulli resorptionem puris, ichoris etc. et connubium eorum cum sanguine causam proximam febris hujus existimant. Saepissime tamen nulla materia adest, quae resorberi posset; etsi pus et ichor resorbentur, transitus eorum in sanguinem improbabilis est, quum vasa lymphatica, praecipue glandulae, materiam resorptam maxime mutant et

---

1) L. c.

2) Von der Nervenkrankheit, Weber'sche Uebersetzung. 2 Bd. S. 268.

3) L. c. pag. 184.



assimilationi demum idoneam reddant. *Henke* <sup>1)</sup> igitur putat, forsann suppuratione sanguini tales materias detrahi, quae detractae corporis nutritionem normalem aboleant et hoc modo febrem simulque tabem universalem adduci. *Reil* <sup>2)</sup> contendit, causam proximam ex eodem fonte, ac febris generatim, profluere, ex irritatione nimirum cordis vasorumque. *Haase* <sup>3)</sup> omnia, ait, momenta diagnostica, aetiologica et therapeutica testari, in nimis adaucta irritabilitate totius systematis sensibilis, cum minuta reproductione, causam proximam esse ponendam.

Verba *Berendsii* <sup>4)</sup> de causa proxima hujus febris sunt: „causa proxima febris hecticae et lentae generatim non aliter cogitari potest, quam ea, quae in morbis tabificis generatim locum habet. Nempe aut succus nutritius, sive materia albuminosa, lymphatica, fibrosa non praeparatur ex alimentis idonea, nec satis coadunatur cum partibus corporis, quod utrumque fit debilitate partium praecipue; aut haec materiae animalis principia exsolvuntur et e corpore abducuntur. Quod quomodo fiat, satis difficile intellectu, quum ex sola debilitate vix declarari queat et non nisi occulto animali chemismo fieri possit. Sat facile autem mente nostra assequimur et perspiciamus, materiam nutritiam male elaboratam, cum partibus organicis non intime conjunctam, ex iis facile iterum exsolvi et e corpore proscribi. Itaque in febre lenta et hectica utrumque saepe locum habere videtur, ut male praepararetur succus alibilis, cum partibus organicis parum

- 1) Handbuch der speciellen Pathologie. Bd. I. S. 225.
- 2) Besondere Fieberlehre. Bd. 2. S. 9.
- 3) L. c. S. 464.
- 4) L. c.



coadunetur atque sic facile iterum exsolvatur atque e corpore eliminetur.“ Ex his omnibus et aliorum sententiis sat intelligitur, nos quidem suspicari posse modum, quo haec febris oriatur, et mutatam nutritionem et irritabilitatem propriam systematis nervosi quam vasculosi maximi momenti esse, penitiorum autem hujus processus naturam nunquam omnes tenebras esse excussuram.

### *D i a g n o s i s .*

Initio quidem, sed vix diutius, haec febris medicum dubium haerere patitur. Diurnus, lentus, levis irregularisque decursus, propriae acerbationes, quae sublevantibus crisi- bus carent; pulsus accelerati, debiles plerumque, calor peculiaris, utplurimum fugax, ardor volarum manuum pedumque, praecipue post meridiem et horis vespertinis; rubor circumscriptus genarum; in dies augescens debilitas atque macies, dum appetitus ciborum integer et digestio bona videntur; cutis sicea, arida ac pergamena; in- doles urinae, sudores profusi et procedente cursu diarrhoeae colliquativae; ratio causarum et alia, facile medicum de indole morbi certiore reddunt.

A febribus intermittentibus, quibuscum confundi potest, irregularibus frigoris, aestus et sudoris accessionibus differt, saepe enim, aegro sudante, horror revertit, nec non saepius per diem, medio aestu; sudores non super totum



corpus diffunduntur inter paroxysmos; apyrexia non existit et fere nunquam quatuor paroxysmi aequales inveniuntur, generatim in intermittentibus longiores sunt; sudor et urinae in utrisque maxime differunt; urinae in intermittentibus naturam stadiorum sequuntur, in hecticis vero sibi sunt similes; sudor, cum levamen afferat in intermittentibus, fere semper in hecticis exhaurit. A febris acutis sat distinguitur decursu longiori ac mitiori, post prandium augescente calore, saepius recurrente frigore et deficientibus crisibus.

---

### *P r o g n o s i s .*

Quamquam haec febris levis et longum per tempus bonae indolis esse videatur, nihilominus periculo fere nunquam vacat, quare prognosis in univsum dubia et anceps maxima cum prudentia auguranda est. Plurimum interest, ad eventum praesagiendum, ut causae, sedes, morbi mora, nec minus gradus, constitutio corporis, aliaeque conditiones rite cognoscantur atque dijudicentur. Si causae indagari ac tolli queunt, si graviores affectiones organicae desunt, febris recentior est et gradum summum nondum obtinet, si omnes colliquationes desunt, constitutio corporis atque vires adhuc bene vigent, digestio ita constituta est, ut instauratio pedetentim contingere possit, si aeger neque infans neque senex est, si omnia praesidia in usum vocari queunt: eventum prosperum atque sanationem



facilius sperare licet, quam si causae occultae vel inexpugnabiles sunt, si morbus diuturnus aut cum organicis affectionibus, ut destructionibus, maxima virium prostratione, digestionis labe, nec non signis colliquativis jam conjunctus est. In his casibus medici conamina morbum sanandi fere semper irrita sunt et tantum symptomatica curatio levaminis aliquid pollicetur. Generatim febris hecticae primariae s. idiopathicae praedictio, quamquam dubia, tamen melioris ominis esse solet, quam secundariae, pessimi autem symptomaticae; praecipue si febris perinde, ac phthisica, cum suppuratione atque ulceratione conjuncta apparet; hic non tantum debilitas universa cum macie corporis, sed etiam consumptio vel partialis vel totalis organi, nec non functiones vel ex parte vel ex toto eversae considerandae veniunt. Veruntamen, si viscus ex toto consumptum est, nonnunquam, at rarissime, prosper eventus observatur; nimirum ubi geminum exstat organon, ita ut unum alterius vices suppleat v. c. renes. Haud diffidendum est, a febre ipsa plurimum periculi momentanei pendere; quo vehementiora ejus symptomata, eo celerior exitus; haud raro magnam quantitatem puris, ichoris etc. per longum tempus, si febris levior est, secedere, ab altera autem parte mortem brevi vitam irruere videmus, quin multum materiae deperdatur, uti in phthisi laryngea. Muliebrem sexum et pueros facilius quam adultos et viros evadere dicunt, quia in illis reproductio magis vigeat.



C. *de febre*

Facile est intellectu, curationem febris hec-  
ticae, si causas diversissimas, quae saepe et  
difficillime deteguntur et detectae vix removeri  
possunt, si pertinaciam, decursum irregularem,  
virium prostrationem insignem, maxima cum ir-  
ritabilitate sensibilitateque saepe conjunctam et  
alia intuemur, esse perarduam, ita quidem ut  
vix summa medici prudentia, strenuitas ac di-  
ligentia pariter atque aegrotorum obsequium  
eventum prosperum inducere valeant. Medendi  
indicationes generales eae sunt, ut febris, quae  
vires corporis citissime consumit, debelletur et  
vires atque materia organica instaurentur. Quodsi  
causae detegi et tolli queunt, utrique saepe in-  
dicationi satis fit. Si contingit, ut febrim coer-  
ceamus, instauratio virium corporis et alia facile  
obtinentur; illud autem difficile et ne uberrimo  
quidem medicamentorum apparatu perficitur.  
Arduum quoque est, de cura generalia propo-  
nere, cum gradui febris, causis, constitutioni  
corporis et aliis accommodanda sit. Ut vitentur  
repetitiones, haud supervacuum mihi videtur,  
nonnulla praemittere et, quum jure contendi  
possit, regimen ubique maximi esse momenti  
quod si vel negligatur, vel aptum institui non  
possit, vix eventum prosperum affulgere, de hac  
nonnulla praecipiam. Mundities tam aegri quam  
rerum ambientium servetur maxima; cubiculum  
aegroti sat amplum, purum, siccum, nec frigidius  
nec calidius, aëris salubris plenum sit. Munditiae  
maxima sit cura: indusia fere quotidie et pul-  
vinarium velamina creberrime permulentur. Ae-



ger nec nimis et calidioribus nec tenuibus et frigidioribus vestibus tegatur. Somno post prandium breviori indulgeat aeger, primo vespere cubitum eat, primo mane resurgat, lectulo, nisi plumis nimis adsueverit, non nimis molli et calido, sed pulvinaribus e pilis equinis confectis utatur. Frictiones cutis matutinae, vel manu vel tela mollissima, praesertim laná, si res expostulet, fumo benzoës, succini, florum rosarum rubrarum, baccarum juniperi siccatarum imbuta, haud raro maximo cum fructu in usum vocantur. Balnea quoque tepida, si neque morbi natura neque gradu vetantur, quibus lac et, si ferantur, herbae aromaticae mitiores, ut menthae, thymi, melissae, chamomillae et alia addi possunt, interjectis aliquot diebus, tempore matutino adhibita maxime prosunt. Nunquam autem aeger in balneo diutius moretur et diligentissime caveat, ne frigori post balneum se submittat. Maxime convenit exercitatio corporis modica, imprimis horis antemeridianis, ut ambulationes breves sub dio, equitatio, aut, si minus sustinentur, vectura, navigatio, gestatio in lectica. Attamen exercitatio corporis nunquam ad fatigationem protrahatur. Exhilaratio animi magni momenti est. Alimenta viribus digestionis circumspecte adaptentur: generatim eupepta modica, quam maxime alibilia, imprimis in remissionibus et horis matutinis, dosibus parcis, sed saepius iteratis, tan animalia quam vegetabilia, exhibeantur, ut carnes bene assatae et elixae, praecipue teneriorum animalium, caro vitulina, prae ceteris venatio, aves nonnullae, ut columbae, gallinae etc. Juscula adipe carentia, e carne mammalium, ranarum, astacorum fluvialium, viperarum parata



etc.; gelatinae e carne, ossibus etc. paratae, maxime laudandae sunt. Porro radices salep, medulla sago, oryza, farina hordei praeparata, amyllum, *Arrow Root* et alia cum jusculis coquantur vel ex iis, addito pauxillo mitioris aromatis vinique, gelatinae parentur, quibus conficiendis etiam ichthyocolla et gelatina animalis inserviunt. Vitellus ovorum, et jusculis dilutus et recens, minime tamen coctus, cum utilitate hauritur. Maxime laudantur ostreae, limaces, viperae. Potus nec justo frigidior nec calidior, non nimis irritans, saepius at parcius exhibeatur, qui sitim bene exstinguat simulque nutriat. Idonei sunt potus e vitello ovorum, multa aqua diluto, e decoctis amyllum continentium seminum radicumque, e maltheo aliisque confecti. Lac, si fertur, non solum egregium potum, sed etiam saepe optimum remedium ad curationem perficiendam offert. Prae ceteris lac humanum laudatur a *Fournier*, deinde asinum, caprinum, equinum, postremo vaccinum. Multum interest, ut lac cum halitu animali hauriatur. Pro lacte, quippe si non fertur, serum ejus maxime prodest, quod facile sustinetur. Ventriculi imbecillitas saepe fermentatum requirit potum, quocirca cerevisia quaedam, ut mumma Brunsvicensium, cerevisia Britanica et aliae amarae sat fermentatae, semper autem, quum incitatione facile noceant, admodum cauta parcaque manu et tantum horis matutinis, praesertim in remissionibus, porrigi possunt. Pari modo vinum modicum, aqua temperatum, interdum exorbitante debilitate, paululum vini oleosi, ut vinum canariense, vel capense, attamen maxima cum providentia et exigua quantitate suppeditare licet.



Pomeridianis horis, praesertim in acerbationibus et tempore vespertino, aegrotus a validioribus motibus exercitationibusque, nec non irritationibus prorsus absteineat. Validiora alimenta, tam cibi quam potus prohibenda magis quam commendanda, quippe quae facile irritent et hoc tempore non corpus, sed morbum alant, quod saepe animadvertimus, siquidem cibo validiori sumto acerbationes maturiores et graviore oriuntur. In universum aegrotus magis frigidiusculum quam calidum regimen agat, alimentis, dummodo non debilitent, licet restitutioni virium materiaeque organicae non optime respondeant, dilutis magis et fluidis, quam solidis, praecipue tenuioribus jusculis, blandis et refrigerantibus potibus mitioribus utatur, quibus aucta irritabilitas vasorum nervorumque deprimatur; huc pertinent decocta tenuiora mucilaginea, serum lactis, vitellus ovorum, aqua sat dilutus et aliquo saccharo conditus, succi recentis plantarum, succus uvarum, cucumerum, et aliorum fructuum. Nec non decocta tenuiora fructuum siccatorum et nonnulli fructus recentes commode aegro conceduntur.

Apparatus medicaminum singularibus conditionibus accommodetur. Si febris inflammatoriam indolem prae se gerit, methodus antiphlogistica quidem in usum vocanda, sed cautissime gubernanda et nunquam non gradui inflammationis, si adest, viribus, constitutioni corporis et aliis est adaptanda. Opus est, et remediorum, quibus uti volumus, effectum satis metiamur, ad vitanda detrimenta. Leviora antiphlogistica saepenumero sufficiunt, et si missione sanguinis opus sit, tam localis quam universalis semper provida parca-



que manu instituitur; praeter diaetam tenuissimam decocta mucosa cum levioribus acidis mineralibus, vel aqua laurocerasi, vel extracto hyoscyami, infusum digitalis, salia neutra mitiora, serum lactis acidulum, succi quidam recenter expressi, succus uvarum, cucumerum, et alia fere semper sufficiunt. Si medici est, debilitatem debellare, si macies, prostratio virium et irritatio magis increscunt, roborantia, amara, sedantia, nutrientia, interdum leviora incitantia locum habent, ut quassia, centaureum minus, trifolium, gentiana, absinthium, columbo, carduus benedictus, tussilago farfara, lichen islandicus, calamus aromaticus, flores millefolii, cortex aurantium, glandes quercus, praecipue apud infantes, china, ferrum, vel praeparata mitiora, ut ammon. muriat. martiatum, extractum ferri aceticum, ferri pomatum, spiritus sulphurico-aethereus et acetico-aethereus martiatus, vel aquae martiatae, tam mitiores quam validiores, ut Reinerccensis, Cudowana, Spaadana, Fachingensis, Flinsbergensis, Egerana, Pymontana, Driburgensis et alia.

Iis in casibus, quibus hisce remediis uti licet, nihilominus maxima providentia opus est; omnia tantum in remissionibus et horis matutinis adhibenda, eorumque loco in exacerbationibus ac pomeridianis horis ea, quae sedant et auctam irritationem sensibilitatemque systematis nervosi ac vasculosi coercent, praebenda; quae nisi aeger somno detineatur, per noctem etiam continuanda sunt, ut digitalis, aqua lauro-cerasi, extractum hyoscyami, decocta mucilaginea cum acidis mineralibus mitioribus et alia.

Colliquationibus jamjam ineuntibus apte occurrendum est. Si sudoribus colliquativis aeger



vexatur, leviora integumenta lintea eligenda, generatim regimen frigidius atque maxima mundities servanda est. Utilissima ex apparatu medicamentorum nonnulla adstringentia, ut quassia, acidula mineralia, praecipue acidum sulphuricum, mixtura sulphurico-acida, infusum salviae, horis vespertinis frigidum haustum, multis maxime laudatum, in usum vocanda sunt. Contra diarrhoeas colliquativas maxime laudantur columbo, cortex simarubae, tinctura cinnamomi, decoctum Salep, opium, vel interne, vel externe per clysmata ex amylo parata, nec non fomentationes vinosae spirituosaeque ad ventrem etc.

Tussi interdum maxime urgenti optime occurritur largiore opii dosi ante vespertinum paroxysmum, testibus *Vogel* <sup>1)</sup> et *Fournier* <sup>2)</sup>. Extractum hyoscyami, aqua amygdalarum amararum, lactucarium et alia non praetermittenda sunt; eadem et nonnulla alia etiam spasms, si adsunt, respondent.

Si complicationes morbosae, ut status pituitosus, saburralis, aut alii morbi, nexum causalem cum febre non alentes, ei associantur, curatio ad indolem eorum, respectu mali potioris habito, conformanda est.

Si contingit, ut valetudo restituatur, curatio inter convalescentiam haud suspendenda est, quoniam a morbo recidivo aeger tutus non esse solet. Nostrum igitur est, medicaminibus aptis aegroti per longius tempus succurrere, a dieta blanda pedetentim ad validiorem, paulo incitan-

1) L. c. pag. 188.

2) L. c. pag. 97.



tem roborantemque pergere. Prae ceteris aegro fontes medicati roborantes, nec minus itinera exhilarantia commendanda sunt.

*A.* Curatio febris hecticæ primariae s. idiopathicae. Quod speciatim ad curam hujus febris pertinet, quae primaria apparet, nostrum est, causas primum tollere; attamen necesse est, caute tollantur, quae ut plurimum per longum tempus exstiterint, incauta enim abolitio haud dubie magno incommodo erit aegroti. Quodsi igitur in alimentorum inopia causa cernitur, pedetentim cibus augendus et indoles prava corrigenda est; abusus incitamentorum omnis generis sensim sensimque minuatur, defectus eorum prudenter sarciatur; evacuationes nimiae, si quae sunt, in utroque casu temperentur, et paulatim cohibeantur; labores nimii, praecipue mentis, vigiliis conjuncti, suspendantur. Animi affectibus, praesertim deprimentibus, ut tristitiae, curis, maerori, nostalgiae, amori infelici et aliis saepissime vix et ne vix quidem occurri potest, quoniam artis praesidia eludunt; moderatio, oblectatio atque exhilaratio animi, itinera et, si fieri potest, expletio desideriorum, quam maxime imperentur. — Si eo perventum est, ut haec vel aliae causae abolitae sint, febris et prostratio virium, nisi aufugerint, debellantur. Omnia, quae de regimine diaetetico, victu ac apparatu medicamentorum remediorumque memoravimus, haud inepte in usum vocantur. Praecipue hoc in casu china, cujus idonea praeparata in remissionibus porrigantur, egregium medicamen exhibet, nec minus praeter alia roborantia, amara, nutrientia etc. ferrum, tam mitiora ejus praeparata quam fontes



martiati. Lac, si fertur, praesertim sensibilibus, vel irritabilioribus maxime commendandum. Usus vini cautus haud praetereundus etc.

*B.* Febris hectica, quae secundaria nominatur, ut plurimum curationem eam exposcit, quae morbis praegressis respondet, ita tamen, ut vitentur, quae debilitatem augeant, vel nimia incitatione facile noceant. Quodsi ergo febres acutae, intermittentes, exanthemata acuta, turbatae, aut imperfectae, aut neglectae crises vel inepta curatio etc. causam praebuerunt, neglecta suppleantur et impedimenta removeantur oportet; proinde cruditates, status pituitosi, vermes et alia tollantur et reversio caveatur, quod, quo modo et quibus remediis instituendum sit, facile elucet. Suppressiones et repercussiones haemorrhagarum, ut haemorrhoidum, sudorum habitualium, ut manuum pedumque, exanthematum chronicorum, ulcerum inveteratorum etc., alio modo sunt compensandae, aut secretiones restituendae, ope fomentationum, balneorum tepidorum, sinapismorum, vesicantium, ulcerum artificialium, medicaminum idoneorum aliorum etc.; dyscrasiae et morbi spasmodici, qui in hecticam febrem abierunt, remediis naturae consentaneis bellentur. Si hectica febris venenis inducta est, antidota porrigantur, ut lac, oleosa, sulphur, nonnulla tonica, interdum aetherea et narcotica, balnea tepida praecipue cum sulphuris hepate, thermae praesertim sulphuratae adhibeantur.

Omnia remedia, quae causis medentur, caute seligenda, parca manu, interdum longis intervallis propinanda, provideque cum roborantibus nutrientibusque conjungenda sunt, prout effectus eorum et conditiones aliae expostulant.



Curatio febris hecticae symptomaticae difficillima est, quod facile intelligitur, si causas, quarum symptoma febris est, et quarum remotio saepius artis terminos excedit, contemplamur. Nihilominus nostrum est, quod tollere nequeamus, sublevare. Omnia igitur, quae supra generatim de regimine diaetetico ac remediis praecpta sunt, hoc in casu, si alter utrum indicetur, in usum trahi oportet. Attamen quandoque contingit, ut causas, si vel infarctibus, vel obstructionibus, vel indurationibus, vel debilitate viscerum etc. nituntur, tollere queamus. Hanc ob rem methodus resolvens simulque roborans maxima cum prudentia nec minus singulari ratione visceris laborantis habita, adhiberi debet. Prout igitur res expostulat, cum fructu adhibentur: Extr. graminis, cardui benedicti, marrubii, taraxaci, cichorii, saponariae, chelidonii, calendulae, fumariae, trifolii fibrini, tussilago farfara, lichen Islandicus. Hyoscyami et belladonnae usus, perinde ac nonnullorum gummatum ferulaceorum, quorundam salium, ut kali acetici, sub finem martialium, summam providentiam requirit. Haud raro optimo cum eventu nonnulli succi recenter expressi, fructus sat maturi, vitellus ovorum recens, fontes aciduli et alia, adhibentur. Internis saepe externa, ut lenes frictiones nec non inunctiones atque fomentationes resolventes, praesertim e belladonna, hyoseyamo, conio et aliis commodissime adduntur. Ubi inflammationis suspicio subest, cautissime in eam est agendum. — Si febris symptomata destructorum viscerum exhibet, ea, quae supra generatim praecpta sunt, opponi oportet. Curatio causarum est ea, quae diversis speciebus



phthiſeos reſpondet, de quibus hic dicendum non eſt. In univerſum maxime laudantur: digitalis, aqua lauro-ceraſi, extr. hyoſcyami et alia. Maximam prudentiam requirit uſus roborantium, praecipue chinae, cum facile noceant. China haud dubie in febre hectica ſymptomatica cum fructu tantum adminiſtratur, ubi ſola debilitas viſcerum, ſine ullo vitio organico, aut phthiſis ſic dicta puitoſa pulmonum, exſtant.



phthisicos respondet, de quibus hic dicendum  
 non est. In universum maxime laudantur: digi-  
 talis, aqua lauro-cerasi, extra lysochami et alia.  
 Maxima prudentiam requirit pars roborantium,  
 praecipue chinae, cum laethe necesse. China  
 haud dubie in febre hectica symptomata cum  
 febre tantum administratur, ubi sola debilitas  
 viscerum, sine ullo vitio organico, aut phthisis  
 sic dicta phthisis pulmonum, exstant.







ADDITIONAL

ADDITIONAL

ADDITIONAL

ADDITIONAL

ADDITIONAL

ADDITIONAL

ADDITIONAL



















Coll. Cur  
difficillima e  
quarum sym  
saepius artis  
Nihilominus  
amus, suble  
neratim de  
cepta sunt,  
in usum t  
contingit, u  
structionibus  
viscerum et  
ob rem n  
rans maxir  
gulari ratio  
beri debet.  
fructu adhi  
nedicti, ma  
chelidonii,  
tussilago far  
et bellador  
gummatum  
ut kali ace  
providentia  
eventu non  
sat maturi,  
et alia, ad  
lenes frict  
mentatione  
hyoscyamo  
tur. Ubi  
sime in ea  
tomata des  
supra gene  
Curatio ca

necticae symptomaticae  
le intelligitur, si causas,  
est, et quarum remotio  
excedit, contemplamur.  
quod tollere neque  
a igitur, quae supra ge  
tetrico ac remediis praec  
si alter utrum indicetur,  
Attamen quandoque  
vel infarctibus, vel ob  
ationibus, vel debilitate  
tollere queamus. Hanc  
solvens simulque robo  
rancia nec minus sin  
laborantis habita, adhi  
tur res expostulat, cum  
tr. graminis, cardui be  
taci, cichorii, saponariae,  
fumariae, trifolii fibrini,  
Islandicus. Hyoscyami  
perinde ac nonnullorum  
m, quorundam salium,  
em martialium, summam  
Haud raro optimo cum  
ecenter expressi, fructus  
um recens, fontes aciduli  
ternis saepe externa, ut  
on inunctiones atque fo  
praesertim e belladonna,  
lis commodissime addu  
is suspicio subest, cautis  
um. — Si febris symp  
scerum exhibet, ea, quae  
epta sunt, opponi oportet.  
ea, quae diversis speciebus

